6 Gratiam et pacem per Chrm. Quid opus est istis tergiversationibus mi Clariss. D. Osiander? Non nugas non fabulas agimus aniles, sed res omnino maximas, q pertinent ad Dei gloriam, et animarum salutem. Quare igitur non simpliciter, et aperte mihi ad mea respondes. At non intelligo te, inquis, Non intelligis verbum Dei in me mi D. Osiander? Nunquid perplexus est sermo Dni? sed age ut me in posterum intelligas, declarabo tibi sententiam meam et scripturae testimonijs latius. Tu mihi balbutienti veniam dabis, quia non magno verborum ornatu, quod sentio, explicare possum. Non uni dat cuncta Deus sunt distributiones donorum, ut nosti, et victoria plerunque apud balbutientem veritatem, Iuxta illud: Ex ore infantium et lactentium perfecisti ~~laudem~~ robur.

Primum totus sum in admiratione, cur nusquam utar confessione Augustana, vel Sancti Lutheri, vel Domini Philippi, praeceptoris mi authoritate vel scriptis. Quare de illorum genere scriptorum quaeras, qua veneratione ea complectar? Sed tamen quia cupis etiam hoc ex me scire, Audi quid sentiam. Non habeo pro scriptura canonica scripturam Augustanam, sed verbum Dei et sententiam scripturae, quam hactenus serpens ille tortuosus suis dentibus nusquam potuit aptare. In confessione Augustana habeo pro sancto sanctorum, et petra firmissima, contra quam non praevalebunt portae inferorum, Idem quoque Iudicium de libris S. Lutheri et D. Philippi praeceptoris nostri

2.

Secundo cum quaeris quid significent vocabula novi- tates infusa. Respondeo. hoc ipsum quod sentis, in propositione tua quarta contra Theologorum antilogias his verbis. Durch sein wort vnd geist, in dieselbigen gleubigen, dieweil Christus ihr herrn wont, auch eingetragen vnd eingepflantzet werden.

Tertio confidenter affirmo, et probo scripturam asserere, duplicem in Christo Justitiam, nec allego tantum capitum numeros, sed in propositione mea tertia adscribo loca.

Quarto Chymaera est conclusio tua, quia sonni- as euidenter ex meis statim hoc, quod iustitia nostra sit creatura. Falleris ~~nostri~~ D. Doctor falleris, sed hoc perasseueranter assero et asseram quoad spus hos reget artus, iustitiam nostram non esse creaturam, quia Christus non est creatura, nec est ullius hominis obedientia uel meritum, imo nec humanitatis Christi, sicut tu false nos insimula- sti in lectione tua. Semine nullius creaturae, qua- tumuis innocentis et perfectae, esse hoc, ut conterat ca- put serpentis, conferat benedictionem cunctis gentibus occidat mortem, aboleat peccatum, adferat iustitiam sempiternam, restituat aeternam Vitam. Haec omnia sunt Idiomata diuinae naturae, sed non in diuinitate ab- soluta, (Contra omne tuum figmentum) sed in car- nata. Itaque Deus est Justitia nostra, in forma serui ut Diuus Paulus uocat. Ibi enim fit Justi- tia nostra, cum Deus fit maledictum, Deus po-

nit animam pro ovibus suis, Deus moritur sub lege,
Deus fundit sanguinem, haec mors, hic sanguis non
cuiusquam sed Dei ingenua, operatur nobis quoque vitam in
morte sua, confert benedictionem pro maledictione sua
tollit peccatum, factus peccatum, Ita ingenua Dei est forma,
lis iustitia nostra non quando est iustus in sese ab
aeterno, quia hoc semper est, sed quando fit peccatum pro
nobis 2 Cor: 5 Si liberat nos a lege factus
sub lege ad Gala: 4 liberat nos a maledicto,
in factus maledictum Gal: 3 Confirmavit nos
sanctificatos, totius mundi peccata ferens, omnium homi-
num factus novissimus Esa: Vermis et non homo
Psal: 22 Contrivit caput serpentis quando calca-
neum a serpente mordetur Gen: Est mors mor-
tis, quando a morte absorbetur. Oseae 13 Est
sanitas nostra in suo livore. Esa: 53 1 Pet: 2
In summa nostra iustitia formalis est Dei
omnium servus. Matth: 20
Credo te iam intelligere, quid sentiam in hac Verbi Dei
Quod ideo in literis meis tibi quoque antea attuli, non ut
aliud discerem, quia non circumferor, quovis vento
doctrinae, velut arundo, sed ut te hominem amicum
admonerem, scripturae recte scribis, si quid ab hac firmi-
tate fidei vere sentires, quo melioribus informatus
redderes gradum. Nam ut ingenue et aperte fatear,
quod sentio, ipse ego quoque audivi te ab hac sen-
tentia docere non modo diversa, verum etiam op-
horribilia et dicta, sanguinem Dei in iustificatione
peccatoris te prorsus formaliter tribuere nihil.
Hoc est enim iustitiam fidei simpliciter tollere, et pro

hoc abolere universam scripturam, Neque enim ob
scure sed manifeste docuisti hoc in lectionibus tuis
Justitiam patris, Filij et spus s. hoc est ipsa divini
tatem absolutam, Ad hoc trahis quasdam scripturae
sententias, ad quas tibi nunc quoque respondebo.

Psalmus 71 est tanquam aries et seu Herculeis totius
opinionis tuae, in quo fingis Christum petere, ut libe,
retur non in iustitia sua (quae aut nulla est
aut si est. Ergo tu duplicem iustitiam, ut hoc quoque
obiter moneam te ex tuis) sed in iustitia patris.
Non immorabor huic sententiae diutius, sed me
paucis ac breviter expediam, et sic ad sensum
tuum respondeo, Certum est Moisen, prophetas, psalmos
loqui de Christo, sicut testatur Christus ipse Lucae
24. quaeritur hic, quis sit sensus Moisi prophe,
tarum et psalmorum qui loquuntur de Christo. Di,
cam tibi nunc (inquit Lucas) aperuit illis sensum
ut scripturas intelligerent, et dixit sic oportuit
Christum pati et tertia die resurgere ut praedicetur
in nomine eius, (mortui et resuscitati) poeniten,
tia et remissio peccatorum Audis iam verum interp,
tem Moisi prophetarum et psalmorum de Christo sententiae
de Christo mortuo propter peccata, et resuscitato propter
iustitiam meam. Sicut etiam totum actum vitae
Christi et iustificationis nostrae in haec duo dividit
D. Paul: Ro: 4 Si ergo hic psalmus de Christo loquitur
illum sensum tu quoque nobis adferas, si hoc feceris, acci
pimus eam non tuum sensum, sed psalmi et spus S. inte
Si vero ut fecisti, alium nobis sensum dederis. non iam

germinare et natiuū psalmi sententia, sed car-
nis tuæ loqueris et ad adfers, diximus igr, quod
tu de D. Philippo, omnis homo mendax.
Semel hoc iam uno infallabili fundamento ad oia
alia loca tibi satis abunde responsum est, non a me
sed a Chro Dno, et pręptore tuo et meo, sed
ad Ieremiā quatenus tu fugis paucula quoq
respondebo, ut uideas mi D. Osiander, quomo
te rapiat impotentia carnis. Multa dixisti de
nomine Dei ineffabili, quod simpliciter sigt ipsa
diuinitate, Concedo mi D. Osiander, et ultima
in explicandis locis Hebreis melius tua opera lo-
cares posses Ecclię quise plus quā omnes alij
qui magni nois Theologi. Venio ad Ieremiā.
Concedo inquā, scio et credo Iehouā hic et ubiq
significare ipsū Deum, sed quero mi D. Osian-
der quem Deum? Num quid Iudęorum et Tur-
carum, qui Deum cogitant extra psona Chri,
An igr sunt plures dij, quam unus in quos? Non
dico. Absit hoc a me, sed frustra ~~in~~ adicere
descriptione illa superiorem pphetia, in utroq ca-
pite suum dixit, Et uocabunt EUM, num quid
regem ex germine Dauid, sz virgulta ex Da-
uid, ut ex te didici. Ecce quid clarius? prophetia
dixit uocabunt iustitiā suam Deum incarnatum
passum et resuscitatum (sicut Chrs interpretatur
Luce 24) tu contra uocabunt iustitiā suā di-
uinitatem patris, mi Dne Osiander? si credimus
tibi? credimus certe sine scriptura et contra scrip-

scripturas, ac versamur in tenebris Aegyptiacis, si ipsi
per quos errorem defendimus, sumus profecto hereticorum
omnium, qui vixerunt, pessimi. Libere scribe mi D. Doctor
et ego coactus sum audire in lectione publica, sen-
tentiam meam esse, fanaticam, absurdam et hereticam.
Quare tu quoque feres patienter, quod apertius
tibi adhuc amico meam declaraverim sententiam.

Et nunc te obtestor propter sanguinem Jhesu
Christi filii Dei, si adhuc tuam sententiam non satis
sim assecutus, ut me errantem corrigas, si vero
sentis quod dicis et ego intelligo? Da gloriam Deo
et disce non ex me mi D. Doctor, sed verum a
Deo ipso qui humilibus dat gratiam. Nam quod
ad personam meam attinet, ac tuam, sum erga te fer-
pulvis et umbra terrae, sed quod ad causam hanc
attinet, maior est te et me, Jesus Christus, quem
reverere, sanguinem eius et mortem non tam fac-
to a peccatoris iustificatione alienam, alioqui-
nam in mortem eius baptizati sumus, quid
prodest baptismus, si non sanguis et mors ipsius
sunt formalis iustitia hominis peccatoris? Quia
et participamus de corpore et sanguine eius, si sola
tantum divinitate patris sumus iusti? Vides quid
quaerit caro tua, ~~quasi~~ quare resipiscere quaeso, dum
locus est poenitentiae. Nam hoc semel certo ha-
beas, si omnino sic perrexeris praedicare iustitiam forma-
lem fidei extra incarnationem, me non solum, verum etiam
omnes Christianos habebis post unam et alteram
admonitionem hostes acerrimos, quia sic iubet spiritus

Chro in nobis, ut in surgentes contra eum, oderi,,
mus odio perfecto, et abominemur eos Psalmus 139
sanguinem Domini in iustificatione nostra, non patie
mur nobis eripi, etiamsi fractus illabatur orbis. Nec
ciramus praetextum et operculum illud, quo nego
tium et grosissima causa palliatur, quod nomini re,,
spectus ad incarnationem. Non est respective iustitia
Christus in forma servi crucifixi et resuscitati, sed
formaliter, ita ut non modo attulerint nobis
tanquam intermunciy, non meruerint tantum vel per ap,,
plicationem nobis communicauerint iustitia ipse
(quem praedicamus crucifixum 1 Cor 1) factus est no,,
bis iustitia etc. Deus dignetur illuminare et
sensu cordis tui mi D. Osiander, ut sapias no,,
biscum ad sobrietatem, Deus enim superbis re,,
sistit, humilibus dat gratiam. Precor resipiscas
Ex aedibus meis 25 Aprilis Anno 1551

Joachimus Morlin.